Acad. Alb. Regim. 1868. II.

INDEX LECTIONUM
IN
ACADEMIA ALBERTINA
FRIDERICO GUILIELMO
HEREDE MONARCHIAE
ACADEMIAE ALBERTINAE RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXVIII. A. D. XX. APRILI
P. P. O.

INSTITUENDARUM.



Praefatus est L. Friedlaender de ICtorum Romanorum quaestibus.

Regimonti Pr.
Typis Academicis Dalkowskianis.
MDCCCLXVIII.

ACADEMIAE ALBERTINAE PRORECTOR

Dr. EDUARD LUTHER.

PHILOS. DR. P. P. O.

Iuvenalis in sat. XIV 190 sqq. patrem inducit filium adhortantem, ut aut caussidicina quaestum faciat, aut studio juris civilis, aut militia provehi studeat:

scribe puer, vigila, caussas age, perlege rubras
majorum leges, aut vitem posce libello.

Id. VIII 49 de plebe togata eos venire dicit, qui juris nodos et legum aenigmata solvant. Et centonarius Echion apud Petron. sat. 46 emi, inquit, ergo nunc puero aliquot libra rubricata, quia volo illum ad domusionem aliquid de jure gustare. habet haec res panem. E quibus locis quum appareat, etiam homines tenuiores pecuniae faciendae causa ad jus civile sese applicuisse, quaeritur, quibus modis hi jurisperiti de plebe quaestum fecerint. Ac primum de discipulorum institutione cogitandum est (de qua cf. Puchta. Instit. ed. 3 p. 480 sqq.). Nam illo tempore quo juvenes utriusque ordinis scientiam juris eo cupidius appetebant, quo certius viam ad honores et officia muniebat, et multi eorundem studiorum causa ex provinciis Romam confluebant (cf. Kuhn Verf. d. r. R. I. 88, 608), professoribus juris auditores deesse non poterant. Quod autem nemo ante Gellium stationes jus publice docentium aut respondentium (XIII 13) commemoravit, quas ille adolescens frequentavit (Antonino Pio vel fortasse Hadriano imperante) id mero casu videtur factum esse. Doctores legum autem non magis gratis docuisse quam rhetoras et grammaticos, per se patet. Et si Masurius Sabinus qui annos demum L natus dignitatem equestrem accepit, plurimum a suis auditoribus sustentatus est (D I 2, 2 § 47), plerosque doctores honoraria cum discipulis pactos esse putabimus in ingressu sacramenti ut ait Ulpianus offerenda, quoniam actio mercedis exigendae juris professoribus concessa non erat. (D. L 13, 1 § 5). Ceterum Romae a tutelis et muneribus excusationem habebant, non in provinciis (Modestin. l. II. Excus. D. XXVII 1, 6 § 12).

Deinde ne responsa quidem consultoribus qui mane ostia pulsabant (Horat. Sat. I. 1, 15) ab omnibus ICtis gratis data esse credendum est. Ei autem quibus

jus publice respondendi*) permissum non erat (Pompon. orig. j. D. I 2 § 47), nihilominus consilia litigatoribus vendere potuisse apparet. (Cf. Puchta l. l. p. 567 sq.) Erant etiam qui caussas agerent, ut ille consultus juris et actor Caussarum mediocris (Horat. A. P. 369); tenuiores autem ICti, qui facultatem agendi desperabant, caussidicis adfuerunt ut pragmatici (Quintil. XII 3, 3, Orelli 4981. Henzen 7270), de quorum mercedibus v. Iuv. VII 124 Martial. XII 72, 3. Ceterum quantumvis caussidici sibi partes primas in caussis agendis vindicarent illosque advocatos minores ut Quintilianus appellat l. l. despicerent, tamen exitus caussarum a nulla re magis pendebant quam a responsis prudentium: unde non mirum est mentibus eorum qui de lite sibi imminente cogitarent, ICti personam (non caussidici) obversatam esse. Quod testantur precationes titulis sepulcralibus additae, ut dolus malus absit et Iuris consultus (vel jus civile): Orelli 4374. 4390 sq. 4821. Unus Claudius (de cujus jurisdictione cf. Sueton. Cl. c. 15 sq.) caussidicorum arti nimium, prudentium sententiis parum tribuit, si Senecam audimus (Lud. c. 12), qui post illius mortem caussidicos fortunas suas deplorantes facit; ICti e tenebris procedebant pallidi, graciles, vix animam habentes tamquam qui tum maxime reviviscerent.

Denique ICti negotiis illis forensibus sustentare se poterant, quae Ulpianus enumerat libro X de officio Procons. (D. XLVIII 19, 9), ut instrumenta consignarent. libellos conciperent, testationes consignarent, testamenta ordinarent scriberent signarent. Testamenta a juris studiosis scribi solita esse testatur etiam Sueton. Nerone c. 32. Sed in hanc provinciam etiam homines horum studiorum expertes involabant, velut librarius ille, qui testamenta scripsit annos XIV sine ICto Henzen 7236 (cf. Mommsen Ztschr. f. G. R. W. XV p. 370) et magister ludi litterarii Capuanus qui testamenta scripsit cum fide (v. titulum a Nissenio editum Hermes I p. 149).

Num periti jurisque studiosi, quos Gellius Romae a judicibus in consilium adhiberi solitos esse testatur (XII 13), jam illo tempore salaria acceperint, incertum est. In rescripto Antonini Pii quod Paulus affert (D. L 13, 4: juris studiosos qui salaria peterent haec exigere posse) fortasse de solis assessoribus provincialibus sermo erat (cf. Zimmern G. d. R. Privatr. I 252).

---

*) Schrader ad Instit. I 2, 8: An facultas publice respondendi dabatur stationes assignando?

I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

---

1. *Professorum ordinariorum.*

RUD. FRID. GRAU, theol. Licent. P. P. O. sextus, Decanus.
I. Publ. De fide et justificatione quid ecclesia antiqua docuerit, narrabit semel p. hebd. d. Mercurii h. XII.
II. Privat. 1) Epistolam Pauli ad Romanos datam interpretabitur quinquies h. XI.
2) De theologia biblica N. T. disseret quaternis diebus p. hebd. h. XII.

FRIDER. LUDOV. SIEFFERT, phil. et theol. Dr., P. P. O. primarius, Facult. Theol. Senior.
I. Publ. Theologiae dogmaticae selecta capita cum commilitonibus disserendo pertractabit semel p. hebd. d. Mercurii h. IX.
II. Privat. Encyclopaediam et methodologiam disciplinarum theologicarum tradet quaternis p. hebd. diebus h. IX.

JOAN. GEORGIUS SOMMER, theol. Dr., P. P. O. secundus.
I. Publ. Descriptionem urbis sanctae dabit bis p. hebd. diebus Mercurii et Saturni h. X.
II. Privat. 1) Generalem in V. T. introductionem historico-criticam quater h. VII tradet.
2) Jesajae vaticinia quinquies h. VIII interpretabitur.
III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem exegetico-criticam V. T. die Veneris h. V et VI dirigere perget.

HENR. GUIL. ERBKAM, theol. Dr., P. P. O. tertius.
I. Publ. De theologia dogmatica nostris temporibus proposita imprimis Schleiermacheri bis p. hebd. disseret diebus Martis et Veneris h. IV.
II. Privat. Historiam dogmatum decies p. hebd. quinis diebus h. IX et X tradet.
III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem historicam diriget die Lunae h. VI et VII.

CAROL. JOANN. COSACK, Theol. Dr., P. P. O. quartus.
Scholas non habebit.

HENRICUS JO. MATTH. VOIGT, theol. Dr. P. P. O. quintus.
I. Publ. Historiam ecclesiasticam aevi recentioris ter p. hebd. diebus Lunae, Mercurii, Jovis h. IV enarrabit.
II. Privat. Epistolas Pauli ad Corinthios datas quinquies vel sexies h. XI interpretabitur.
III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem exegetico-criticam N. T. ex more diriget d. Martis h. V et VI.